



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Privilegium illud Romanæ sedis confirmatum ab Octava Synodo.
Ioannis XII. exauctoratio reprobata. In cauſa hæreseos & schismatis
cessat privilegium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

Ata crimina jurejurando levavit; ut testantur Anastasius & Eginhardus in Annalibus. Unde profectum est ut purgatio illa, qua suspecti Presbyteri, adhibito sacramento tam suo quam quinque vel septem emendatæ vitæ hominum ex eadem aut vicina plebe petitorum, se purgatos populo comprobabant, exemplo Leonis Papæ facta diceretur, ut docent Capitularia. Hanc purgandi sese rationem fecutus est Paschalis I. ut suspicionem cædis in Theodoro Primicerio & Leone Nomenclatore patrata dilueret. Etenim præsentibus Ludovici Pij Legatis, se ab hujus facti communionem cum magno Episcoporum numero jurejurando purgavit, ut loquitur Eginhardus.

VII. Quod à Concilio Occidentali sancitum fuerat privilegium, Octavæ Synodi Oecumenicæ canone firmatum est anno DCCCCLXX. Cùm enim scelestus ille Photius in synodo à se coacta Constantinopoli, in Nicolaum Pontificem anathema jecisset, nefarius ille conatus damnatus est, & veritum ne in posterum, ipsius etiam Synodi Oecumenicæ judicio, sententia adversus Romanos Pontifices audacter aliqua feratur. Itaque non sine ratione inter Dicitata Gregorij Papæ VII. hoc etiam caput circumfertur: *Quod à nemine ipse judicari debeat*: adeo ut omnino cum Illustrissimo Baronio consentiam, Ioannis XII. exauktionem ab Ottone Imperatore & Synodo Romana tentatam anno DCCCCLXIII. (cujus Acta extant apud Luitprandum) nullius omnino fuisse momenti. Sanè in causâ hæreseos publicæ professæ, & schismatis, quin de Pontifice Romano judicium fieri possit, nullus unquam scriptor dubitavit: quamvis sententiam malint declaratoriam dici quam condemnatoriam, & in schismatis explicatione variæ sint sententiæ.

VIII. Sed illustriori testimonio probari non potest quæ sit Ecclesiæ Gallicanæ in hac quæstione sententia, quam judicio quod in comitiis Bituricensibus à Carolo VII. Rege Francorum latum est. Non repetam, quæ sunt omnibus notissimæ, inter Eugenium & Basileensè Concilium contentiones: quæ adeo exarserunt, ut non solùm canones quidam ad disciplinam restaurandam ab illa Synodo decreti sint, sed ipse quoque Eugenius Concilij judicio discinctus fuerit & exauktionatus, & in ejus locum Felix V. substitutus. Carolus Princeps gloriosissimus ex sententia Ecclesiæ Gallicanæ, Synodi Basileensis decreta, Pragmatica constitutione edita, amplexus fuerat. Sed dum à Legatis, hinc Eugenij, illinc Concilij Basileensis, & Felicis, urgeretur, prudenter respondit, se quidem decretis, quæ disci-

plinæ restaurationem respicerent, adhæsisse, à communionem tamen Eugenij nunquam recessisse, neque recedere velle. Et ne præfracta responsione Patres Basileenses lædere videretur, eam lenitate verborum mitigavit; *Nempe apud viros graves dubitari, num illa depositio, & subsequens electio, sint rite, justè, canonicè, & legitime celebrata. & an Congregatio Basileensis tunc sufficienter repræsenterit Ecclesiam Vniversalem ad tam arduos actus exequendos. Ideo Rex, quia non est sufficienter informatus super prædictis, perseverat & manet in obedientia Domini Eugenij, in qua nunc stat. Vbi autem debitè informatus fuerit de veritate causæ istius per Oecumenicum Concilium, aut aliud generale, seu etiam per Congregationem Ecclesiæ Gallicanæ melius & extensius convocandæ cum Ducibus, Baronibus, aut Confederatis suis, aut in Conventione Principum Christianorum; tunc veritate comperta & discussa, stabit cum ea, & adhærebit veritati catholicæ.* Eugenij communionem retinet Galli, etsi Concilium Basileense aliter statuisset: cujus decretum, quod ad depositionem attinet, discussione in aliud tempus dilata prudenter eludunt. Extant apud Collectorem Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ rerum hac de re Biturigibus gestarum commentarij.

IX. Etiam si judicium in Pontificem ferri non debeat, tamen ab Episcopis moneri potest, & illis satisfacere tenetur, à se malè conceptam suspicionem criminis amolendo, aut si facti reus teneatur, in meliorem frugem se recipiendo. In utrumque casum extant hinc Marcellini & Sixti, hinc Leonis & Paschalis exempla. Imò verò & canon ipse Synodi Octavæ huic officio Pontifices Romanos adstringit; cujus verba profero ex versione Anastasij: *Si Synodus Vniversalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia; oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra Summos senioris Romæ Pontifices.* Quam in rem multa verba facit Petrus Damiani in eo Tractatu quem de correctione Episcopi & Papæ inscripsit circa annum MLX. ubi Petri exemplo rem conficit: *Si igitur iste, cùm à discipulis culparetur, auctoritatem, quam in sancta sortitus fuerat Ecclesia, voluisset obtinere, respondere potuerat, ut pastorem suum oves quæ sibi commisse fuerant reprehendere non audent. Sed si in querela fidelium potestatis suæ titulum objecisset, doctor profectio mansuetudinis non fuisset. Non ergo eos privilegij sui auctoritate represist; sed humili potius satisfactione placavit; &*

Capitula. c. 34.

Vide Balac & Nardus ad Gregor. lib. 9. cap. 13. Epiph. in Ann. ad an. 833.

Notas in vita Ignatii. Syn. Olybia can. 2111. in Synodi Gregor. lib. 9. cap. 13.

Il. Card. Baron. in Annal. ad an. 1030.

Vide infra lib. 19. cap. 19. §. VIII.

V. Jacobarium lib. 9. de Concilio. Bellarminum, & alios.

Tom. 2. c. 10. §. 13.

Can. XII. GREG. edit. Et si synodus generalis sit, & facta fuerit de sancta Romana Ecclesia quævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra Summos senioris Romæ Pontifices.

Vide S. Gregorium lib. 9. ep. 13. ad Theodorum.